DE
REPUBLICA CARTHAGINIENSIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VI. M. AUGUSTI A. D. MDCCCLXVII.

HORA XI.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILIELMUS KOERNER

ANHALTINUS.

Körner, Wilhelm

ADVERSARII:

R. ENGELMANN, CAND. PHIL.
F. REINHARDT, STUD. PHIL.

HALAE,

FORMIS PLOETZIANIS.

Quali reipublicae forma Carthaginienses sint usi expondituros periculosae plenum opus aleae nos suscepisse non fateri non possumus. tanta enim paucitas rerum, quae eo pertinent, memoriae prodita est, ut etiam post multas doctissimorum hominum quaestiones plurima tenebris obruta iaceant. quas etsi prorsus dispersum iri vix umquam sperari licet, aliquid tamen novae lucis non fieri posse quin oriatur arbitrati quaestionibus usque repetitis, et ipsi accessimus ad rem difficillimam tractandam. percensis igitur fontibus, ex quibus hauriundum est rempublicam Carthaginiensium accuratius cognituris allatisque iis libris, quos recentiores de eadem re scripserunt, qualis nobis illa respublica fuisse videatur deinceps exponemus.

Primum autem locum inter veteres scriptores Aristoteles, quamvis πολιτεῖαι eius, quibus centum quinquaginta octo rerumpublicarum formas descripsit, interierint, etiam nunc obtinet, siquidem, ut ait praeclarus ille Heerenus, veterum testimonia non numeranda sed ponderanda sunt. secundi enim politicorum libri capite undecimo rempublicam Carthaginiensium tractat, sic ut eam Lacedaemoniorum et Cretensium multis in rebus similem esse demonstret. id vero eam descriptionem legenti semper tenendum est, Aristotelem potius suum de republica Carthaginiensium iudicium quasi peritis exhibere quam, qualis illa sit, ignaros docere. — Sequitur Polybius, qui comparationis causa cum Romanis instituendae Carthaginiensium rempublicam paucis illustrat cuiusque in libris complures loci inveniuntur, ex quibus super re proposita coniecturas facere licet. qui quamvis scriptor spectatae fidei sit, quod id potissimum iusti auctoris putavit esse res vel minus polite, dummodo quemadmodum sint gestae et nexae inter se enarrare, id tamen nos praeterire non potest, cum ille Romanorum gloriae nimis faveret

fieri potuisse, ut etiam nescius interdum de veritate paullulum aberraret. — Restant plures auctores, quorum nomina protulisse satis habemus, Nepos, Livius, Diodorus, Iustinus; quibus omnibus quidem caute semper utendum est, sed qui plurima, quae alibi frustra quaeras, hic et illic memoraverunt, quorumque testimonia inter se comparata certam tamen quandam summam efficiunt. ex quibus si quid hauserimus, suo quosque loco nominabimus.

Accedunt recentiorum libri in eadem, qua haec commentatio, materia versantes; quibus accurate adhibitis, quidquid certi collectum ibi invenimus, id in nostrum usum convertendum putavimus. atque antiquissimum quidem eiusmodi scriptum inter manus habuimus Ubbonis Emmii reipublicae Carthaginiensium descriptionem non ita diligenter confectam et tam male digestam, ut quid auctor tandem sibi voluerit vix cognoscas. deinde initio huius saeculi a tribus viris illa respublica illustrata est, ab Heereno in eis libris, quos scripsit de commercio et de civili prudentia veterum gentium, a Boetticherò in historia rerum a Poenis gestarum, a Klugio doctissimo illo commentario, quem capiti Aristotelico supra memorato adiecit. parvi facere, quod tales viri effecerunt, nimiae audaciae esset; cum tamen permulta sint, quae minus mihi cum eis conveniunt, sententiis eorum expositis rationes afferam, quae me ut aliter statuerem, permoverunt. — Postremo copia nobis fuit etiam brevis descriptionis a Th. Mommsenio in historia Romana confectae; sed vir ille praeclarus ut in re a proposito satis aliena non multum novi attulit. similiter Krafftius in Paulyi libro, qui inscribitur, ‚Realencyklopädie des klassischen Alterthums' magis recentiorum opiniones laudat quam de suo quidquam profert.

Haec fere habui, quae, priusquam ad ipsum opus accingerer, praemittenda esse censerem; quod si benevolos iudices habuerit, qui etsi pauca tamen aliquid me ad quaestionem tam saepe vexatam necdum omnino absolutam hoc opusculo contulisse arbitrabuntur, profecto maius mihi gaudium contingere non poterit.

Ac singulos quidem magistratus, quibus Carthaginienses usi sunt, enumeraturo primum mihi mentio facienda est regum vel, ut ipsi eos appellaverunt, sufetum. quo loco,

ut de omnibus fere partibus reipublicae, hominum doctorum sententiae vehementissime inter se discrepant, sive unus an plures regnaverint, sive quamdiu in regno permanserint, sive quae eorum potestas fuerit, quaesiveris. quibus de singulis quaestionibus deinceps disserere in animo est.

Binos autem reges vel sufetes vel consules vel dictatores vel βασιλεῖς vel πρωτεύοντας (nam omnibus his nominibus promiscue scriptores et Graeci et Latini utuntur, sic tamen ut alius aliud praeferat) Carthagine fuisse nunc iam pro certo habendum est. videtur sane tempus fuisse, quo penes tyrannos summa rerum fuit; id quod vel inde patet, quod unam Didonem reginam urbem condidisse ferunt, ita ut eos, qui ex eodem quo illa genere nati erant alterum alteri regnum tradidisse veri simile sit; sed Aristoteles eodem loco [1]), quo tyrannidem Carthagine fuisse dicit, potestate optimatum eam postea exceptam esse addit. in ea igitur reipublicae forma sufetes domi summum locum, si quidem nominis dignitatem spectas, obtinuerunt. quorum numerus manifestissime a Cornelio Nepote [2]) declaratur, qui binos reges apud Carthaginienses creari dicit; nec est, cur verbis eius non credamus tam stricte et breviter expressis. neque tamen, etiamsi eiusmodi testimonium iam non exstaret, de numero eorum dubitari possit. plerumque enim scriptores non de rege, sed de regibus Poenorum narrare invenimus. huc adde, quod Aristoteles in illo, quod supra diximus, capite reges Carthaginiensium cum Lacedaemoniis comparat; ubi cum verba ipsa de uno, ratio exemplaque omnium nationum de pluribus quam duobus Carthaginiensum regibus cogitare nos non sinunt, tum tot utrosque rebus inter se diversos fuisse statim videbimus, ut numeri quoque communitate sublata, quid simile illi secum habuerint nisi nomen, difficillimum sit dictu. nixi autem sunt illi (nam ne id quidem reticendum nobis est), qui unum Carthagine regem fuisse putaverunt, nonnullis locis [3]), ubi unus rex nominatur, et ita quidem, ut ei, qui temere obiterque rem considerat, omnino unus fuisse videatur; multum autem abest, ut eo binos apud Carthaginienses regnasse refellatur, quoniam

[1]) pol. 5, 12. [2]) Han. 7. [3]) e. g. Polyb. 3, 33.

aut alter rex utpote imperatorio munere fungens extra urbem versatus esse putari potest aut eius tantummodo mentio fieri, qui tummaxime senatui praesidebat.

Exoritur iam altera quaestio eaque multo difficilior, per quantum temporis spatium sufetes magistratu functos esse statuamus. sunt enim qui, ut Heerenus, eos per totam vitam regnum obtinuisse arbitrentur; videtur tamen altera opinio, etsi satis speciosas rationes Heerenus prae se fert, propius ad verum accedere. nam si comparatione ab Aristotele inter reges Lacedaemoniorum et Poenorum instituta, praesertim cum nihil aliud inter utrosque interesse philosophus dicat, nisi quod illi semper ex eadem familia, hi ex qualibet optimatum creentur, id evinci putat, quemadmodum illos, sic etiam Carthaginiensium reges, donec viverent, magistratu functos esse; meliorem refutationem reperiri posse non intellego, quam qua Boetticher usus tam brevem esse illam comparationem ostendit, ut discrimina etiam maioris momenti Aristoteles praetermiserit. ac profecto, siquis cauto et libero iudicio locum, de quo agitur, contemplatus erit, vix aliud inde consequi putabit, quam ut propter commune nomen et quia utrimque plures fuerint, ei magistratus inter se collati sint. quid quod tum eodem iure, ut παραπλησίους illos inter se Aristotelem, sic eorum regnum velut consulare imperium Livium[1]) appellare pro nobis nos dicere liceret indeque efficere conari, ut post annum a magistratu sese abdicaverint? — Jam vero in Ciceronis de republica[2]) libris Heerenus aliud argumentum, quo suam opinionem fulciret, se invenisse credidit. omnino quidem eo loco Cicero respublicas Romanorum, Lacedaemoniorum, Carthaginiensium propter aequabilitatem rectamque mixturam inter se confert; sed cum paullo post ‚in qua republica' inquiat ‚est unus aliquis perpetua potestate, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus, ut tum fuit Romae, cum erant reges, ut Spartae Lycurgi legibus' neque ibi velut consulto ullam Poenorum mentionem iniciat, in se ipsum quasi tela quaedam nobis dedisse multo potius quam sibi arma paravisse Heerenus videtur. omissae enim Cartha-

[1]) 30, 7. [2]) 2, 23.

ginis in exemplis perpetuae regiae potestatis proferendis quaenam alia ratio, nisi quod ibi reges non perpetui fuerint, exstitisse putanda est? — Porro autem, etiamsi nullo veterum testimonio, quamdiu reges gessissent magistratum, edoceremur, tamen propter tyrannidem abolitam non vitae finibus regnum circumscriptum fuisse mihi statuerem; nam cum numero regum tum regni spatio quam brevissimo ne nimios sibi spiritus sumerent neve alteri tyranni exstarent, cavendum fuit. sed plurima licet veterum scriptorum de republica Carthaginiensium narrationibus desint, hic benigniore fato certi aliquid nobis servatum est. diserte enim Nepos[1]) et Zonaras[2]) annuos Carthaginiensium reges fuisse tradunt; quorum cur auctoritate neglecta Boetticher perpetuum regnum non fuisse neque vero annuum demonstrare satis habeat, non video. nam tantum abest, ut, quidquid illorum uterque scripsit, nullo negotio pro vero habendum esse putem, ut summa cum cautione eis, quae memoriae prodiderunt, utendum esse censeam; verum cum Nepotem aliquid tam breviter tamque quasi rem notam indicaturum non fuisse, nisi ex optimis fontibus haustum, persuasum mihi est, tum Zonaram in ea operis parte, qua illud narravit, Dionem Cassium secutum esse, multae diligentiae et multae fidei scriptorem, satis constat. tot igitur argumentis cum nostra sententia fulciatur, refutatis, quae Heerenus pro sua opinione in medium protulit, annuam regum potestatem apud Carthaginienses fuisse statuemus.

Sequitur, ut et a quibus et ex quibus sufetes sint creati, ostendamus. quarum quaestionum altera facillima, altera difficillima est. nam cum Aristoteles Lacedaemoniorum reges cum Poenis conferens disertis verbis eo Carthaginienses praestare dicat, quod non semper ex uno atque eodem genere reges suos crearent, nec tamen ex quovis forte fortuna oblato, sed si quod inter eos excelleret, ex eo, qui et ipsi ceteris gentilibus antecellerent, eos sibi reges facerent (quin enim sic philosophi verba accipienda et interpretanda sint, neminem iam Klugii doctissima ad illum locum argumentatione accurate considerata dubitaturum esse confido): de priore quae-

[1]) Han. 7. [2]) annal. 8, 8.

stionis parte omnem dubitationem sublatam esse apparet. quod idem ut de altera parte, qua quaeritur, a quibus sufetes creati sint, praedicare nobis liceat, tantum abest, ut vehementissime hominum doctorum sententiae inter se discrepent. neque id mirum est; destituti enim hoc loco omni fontium nostrorum auctoritate sola coniectura, quomodo res se habuerit, cognoscere debemus. atque Ubbo Emmius quidem eos a centumviris sive a populo creatos fuisse probabile esse dicit, nullam tamen rationem, quapropter sic factum esse arbitretur, afferens. et profecto vix video, quid, quo sententiam suam sustentaret, proferre potuerit. centum virorum enim magistratum propter aliam omnino causam multoque postea, quam reges Carthagine fuisse legimus, institutum fuisse infra videbimus; populus vero si eligendorum regum potestatem habuisset, auctoritas eius multo maior fuisset, quam rebus Carthaginiensibus inde a principio perlustratis videtur revera fuissse. maiorem igitur probabilitatis speciem prae se fert Klugii et ceterorum recentiorum opinio, qua a senatu et sufetes et duces designatos, postea etiam a populo confirmatos esse statuitur. sed hanc quoque sententiam mihi non plane sufficere confiteor; nam etiam sic populo ea potestas concessa fuisset, qua facile omnibus optimatum conatibus regem sibi acceptum promovendi resistere potuisset, id quod in republica, ubi proceres haud ambigue summum locum tenebant, usu venisse non existimandum est. itaque tota quaestio facillime hunc in modum explicanda esse mihi videtur. cum enim Aristoteles id, quod reges una cum senatu decrevissent, ratum fuisse dicat; sin autem inter se dissentirent, tunc cum populo eos agere et unicuique licere libere, quid de ea re sentiret, eloqui, immo vero populum tunc, quid fieri vellet, decernere: quid nos impedit, quominus tota hac explicatione etiam ad modum creandorum sufetum relata, tum demum suffragium de eis populum tulisse statuamus, ubi sufetibus cum senatu de successoribus ipsorum non convenit? sic etiam in recentibus civitatibus ea concilia, quae a principe quotannis convocantur, ut leges ferendas deliberent sanciantque, ut tributa civibus imponenda concedant, ut de omnibus rebus, quae ad reipublicae salutem spectant, consilientur et eas ratas

esse iubeant, eos qui ipsis praesident, ipsa sibi eligere solent; quorum potestate regum non multo maiorem fuisse demonstrabo. accedit illud quoque, quod ducum creandorum rationem, quam ab eo, quo reges eligebantur, modo haud ita dissimilem fuisse apparet, eandem quam nos de regibus statuimus fuisse uno loco manifestissime ostenditur. sed de hoc postea; nunc e testimoniis adhuc exstantibus, quae regum munera fuerint, paucis explicemus.

Summam igitur potestatis, quae penes sufetes fuit, non ita magnam fuisse modo dictum est. itaque cum שֹׁפְטִים Israëlitarum, quibuscum eos comparare facile quis adducatur, nihil paene nisi nomen commune habent, siquidem illos constat populum in ditione fere tyrannica habuisse. nec tamen immerito summum Poenorum magistratum apud Livium [1]) dictos eos invenimus, nam si una quasi persona auctoritas dignitasque reipublicae Carthaginiensium repraesentanda erat, per neminem alium nisi per sufetem id fieri potuit. quod e loco Liviano lucidissime apparet; quo quamquam de sufetibus Gaditanis proprie agitur, tamen illa, quae adiecta sunt, verba ‚qui summus Poenis est magistratus' eandem fuisse sufetum condicionem in omnibus Punicae originis urbibus, quae modo quandam libertatem servaverant, manifeste ostendunt duo praeterea loci, quibus sufetum mentio fit, apud Livium [2]) inveniuntur. altero a sufetibus, quod velut consulare imperium apud Poenos esset, senatum vocatum esse dicit. hic primum cavendum est, ne quis ex comparatione inter consules Romanos et sufetes instituta sufetum auctoritatem coniectura in lucem proferre se posse putet. nam, ut Boetticheri verbis utar, magistratum sufetum tam singularem Romanis visum esse probabile est, ut quocum apud ipsos instituto illum conferrent, omnino nescirent; si tamen comparatio facienda erat, nullus alius magistratus quam consules, etsi eorum potestas multo latius patebat, afferri potuit. tum illud quoque tenendum est, Livium adiecta ‚velut' particula ipsum indicasse illam comparationem aliqua ex parte claudicare, nec hoc quemquam fugere potest ob id potissimum, quod et ipsi consules senatus convocandi

[1]) 28, 37. [2]) 30, 7; 34, 61.

ius habuerunt, eam esse institutam. sed, ut per se consentaneum est, non modo senatum convocavisse, verum etiam ei praesedisse sufetes Pauli Diaconi excerpta ex S. Pompeio Festo s. v. ‚sufes' nos docent. ‚sufes' inquit enim, consul lingua Poenorum. Calidius, senatus, inquit, censuit referentibus sufetis.' qui locus tam perspicuus est, ut nulla explicatione indigeat. restat igitur solus alter ille Livianus locus iam supra propositus, ubi sufetes in foro ad ius dicendum consedisse discimus. quod non ita accipiendum est, ut eos in omnes causas inquisivisse et ipsos sententias tulisse existimemus; infra enim videbimus proprium iudicum ordinem eumque potentissimum Carthagine exstitisse; sed si in consilio horum iudicum sufetes praesedisse statuerimus, tota quaestio facillime solvetur. nam si quis idcirco, quod reges Carthaginiensium cum Lacedaemoniis contenduntur, quemadmodum hi de certis causarum generibus iudicavissent (iudicabant enim de eis rebus, quae ad ius familiare et hereditarium referebantur), sic etiam ad sufetes quendam litium numerum pertinuisse putet: postea in omnes cuiusvis generis causas solos iudices inquisivisse deque eis sententias tulisse demonstrabo. is autem, qui nostrae sententiae exempla desiderat, res modo Atheniensium respiciat, apud quos in collegiis *τῶν ἡλιαστῶν* archontes vel alii singuli magistratus praesederint.

Haec fere fuerunt munera domi sufetibus imposita. iam vero etiam res militares quadam ex parte regibus curae fuisse negari non potest. qua in re veteribus perpauca eaque obscura afferentibus coniecturas veri quam simillimas nobis facere iure licet; ea enim sola ratio est, qua caliginem rei offusam, quantum quidem fieri potest, dispellamus. sed quoniam totus hic locus tam arte cohaeret cum ducibus Carthaginiensium militaribus, de eis, quidquid colligere potuerimus, in medium proferemus.

Quanta autem fuerit ducum militarium apud Carthagini enses auctoritas, vel ex eo apparet, quod Isocrates[1]) Poenos militiae regio imperio usos esse dicit. neque hoc loco opus est demonstrato maximam inde utilitatem redundasse

---

[1]) Nic. 39.

ad bellum fortiter strenueque gerendum; nam imperatorem, quominus summae civium saluti inserviat, saepe imperitia et malignitate eorum prohiberi, quorum auctoritati subiectus est, cum multarum gentium tum ipsorum Carthaginiensium rebus gestis satis constat. sed magis Isocratis verba illustraturi iam exemplis e rerum memoria petitis, quanta fuerit ducum potestas, demonstremus. quibus certe Romani dictatorum nomina non indidissent (id quod e. g. apud Justinum[1]) fit), summorum suorum florente republica magistratuum, nisi etiam auctoritates utrorumque simillimae inter sese fuissent. quid quod Hasdrubal, qui post Hamilcaris mortem in Hispania exercitui praefuit, sua sponte cum Romanis foedus iniit?[2]) id vero si cum aliqua Hispaniae gente factum esset, non ita magni momenti ac ponderis putarem, quamquam tum quoque non parvum ducis imperium fuisse recte quis sibi statueret: sed Romanos cum Carthaginienses iam tum inimicos sibi implacabiles cognovissent, fieri non potuit, quin, quidquid cum illis transigebatur, maxime omnium interesset. et omnino certis indiciis singulis non exstantibus, quibus summa illa imperatorum auctoritas ostenderetur, tamen ut illam tantam tamque gravem fuisse putaremus, rebus ab Hamilcare in Sicilia et Hispania, ab Hasdrubale in Hispania, ab Hannibale ibidem et in Italia per tot annos praeclarissime gestis etiam inviti adduceremur. quae nullo modo effici potuissent, nisi duces et militibus, quibus praefecti erant, et terris a se occupatis libero suo arbitrio usi essent.

Sed quantacumque potestas imperatorum fuit, nullis eam finibus restrictam fuisse ne ex comparatione quidem cum dictatoribus Romanis habita sequitur. parum enim credibile esset, Carthaginienses, apud quos domi optimates principatum, nullo sive tamen frustra resistente, tenebant, ubi bellum gerendum fuit, instituta sua sic pervertisse, ut unus aliquis, quaecumque vellet, poenae timore non deterritus, audere posset. itaque ut consules Romanorum, donec imperium gerebant, nulli quidem inferiores fuerunt, sed postquam a magistratu sese abdicaverunt, ab unoquoque in ius duci potuerunt; sic etiam Carthaginienses duces semper non-

---

[1]) 19, 1. [2]) Pol. 2, 13, 17; Liv. 21, 2.

nulli ex senatu delegati comitabantur; quos quamquam nulla in re imperatores, cum minus inter utrosque conveniret, ut suam potius voluntatem sequerentur, cogi potuisse veri simile est, tamen de omnibus, quaecumque illi gerebant, certiorem faciebant senatum, cui omni tempore imperatores revocare licuit. tum vero gravis eis ratio reddenda et, si damnati erant, maxima saepe poena danda fuit, cuius poenae timore captos complures mortem sibi conscivisse memoriae proditum est. quo quia postea rursus nobis redeundum est, nunc haec attulisse satis habebimus. sed ne longiores simus in rebus vel minoris momenti vel per se consentaneis, paucis addamus, ex illis qui comitabantur senatoribus imperatorem legatos sibi delegisse[1]), quos parti copiarum praepositos ad minores expeditiones faciendas mitteret. mentio fit etiam boëtharchi cuiusdam in duobus Appiani locis[2]); sed cum nusquam alibi eiusmodi magistratus inveniatur, nihil inde certi effici potest. mihi quidem, cum priore loco *ἐπὶ τῇ ἀρχῇ τὴν χώραν περιιέναι* dicatur, posteriore exercitui contra Massinissam misso praesit, delectus habendos curavisse videtur militesque conscriptos adduxisse ad imperatorem, et sic fieri potuisse, ut his ipsis copiis ab eo praeficeretur; id quod cum appellatione eius optime congruit. iam vero postquam quae ducum auctoritas fuerit, contemplati sumus, ad quaestiones minus expeditas pergamus, et a quibus et e quibus et in quantum temporis spatium duces creati sint, accuratius enucleaturi.

Atque, uti iam supra commemoravimus, eodem modo quo sufetes, duces creati fuisse nobis videntur, ita ut tum demum populo suffragium in ea re ferre licuerit, cum regum et senatorum voluntates in diversum tendebant. licet enim ea, quae veteres scriptores de hac re tradiderunt, sint admodum obscura, tamen nec ullus paucissimorum, qui adhuc exstant, locorum sententiae nostrae refragatur et eam ducum eligendorum rationem formae reipublicae Carthaginiensium maxime consentaneam fuisse antea demonstravimus. primo autem loco, ut par est, ea, quae Polybius[3]) de ea re narrat,

---

[1]) Pol. 1, 21, 6; Liv. 21, 12. [2]) p. 197 et 199 (ed. Bekker).
[3]) 1, 53, 1; 1, 55, 1; 1, 82, 12; 3, 14, 4.

afferemus. cuius etsi quattuor in manibus mihi sunt loci, tamen de accurata planaque huius rei cognitione desperaremus, nisi aliud quid veterum scriptis nobis servatum esset. nam cum duobus illis locis Carthaginienses simpliciter Hannonem et Hamilcarem imperatores creavisse dicantur, per se liquet, eiusmodo sermonis contextum usurpari potuisse, et si populus ipse propriis suffragiis duces sibi capiebat, et si per id consilium, penes quod summa rerum fuit quodque ex ipso populo selectum erat, capiendos illos curabat. quapropter ei etiam, qui populo partes quasdam in ducibus eligendis vindicare studuerunt, velut Klugius, eiusmodi locos nihil sibi conducere putaverunt. itaque ne nobis quidem, si nostram opinionem cum eis non dissentire arbitrati erimus, quisquam vitio vertet. — Jam vero tertio loco Polybius non Carthaginienses, sed cives (τοὺς πολίτας) ducem Hamilcari imperatori suffecisse narrat. dicat fortasse quispiam civium vocabulo populum ipsum expresse significari. attamen si quis de industria hanc vocem a Polybio positam putet nec potius varietatis causa plane cum eadem vi, quae inest Carthaginiensium vocabulo: hoc secum revolvat, bello prope ipsa Carthaginis moenia grassante facile eos, qui intra urbem remanserant, cives nominari posse contra eos, qui extra urbem militum munere fungebantur. accedit quod hoc loco tantummodo de legato agitur, quem tamen sicut imperatorem et ipsum a senatu creatum esse opinor; nam militae quidem duces ipsos sibi legatos elegisse supra docui. sed non ita destituti sumus veterum testimoniis ad hanc rem spectantibus, ut his paucis Polybii locis contenti nihil amplius de ducibus Carthaginiensium militaribus comperire possimus. praesto est Diodorus Siculus[1]), cui profecto, ubi ipsius auctoritate Polybii testimonia non confutantur, verum potius confirmantur, aliqua fides adiungenda est. neque hic magni momenti esse duco posteriores illos locos, quippe quibus res non magis illustretur quam Polybii verbis; sed primus ex illis accurate inspectus accomodatissimus est nostrae sententiae. Segestani enim legatos auxilium petituros miserunt Carthaginem; qui cum advenissent et senatui

---

[1]) 13, 43; 14, 54; 15, 15.

litteras sibi mandatas dedissent, non mediocriter Carthaginienses haesitaverunt, quid sibi faciendum esset ignari. sed cum urbem in fidem accipere optimum visum esset, auxilium polliciti legatis imperatorem Hannibalem fecerunt. sic fere Diodorus. aliorum autem populorum legatos, si cum Carthaginiensibus agendum eis erat, semper cum senatu eorum egisse multis factis probari potest. iam vero quandoquidem apud Diodorum *ἀπεκρίθησαν* (sc. *ἡ γερουσία*) et *κατέστησαν στρατηγόν* una continuatione verborum scripta sunt, dubitari non potest, quin senatores, sicuti legatis responderint, ita imperatorem quoque elegerint.

Neque tamen interdum rem se aliter habuisse negem. notum enim est Polybii[1]) et Livii[2]) et Nepotis[3]) testimoniis post Hasdrubalem mortuum Hannibalem in Hispania ab exercitu imperatorem factum publice a Carthaginiensibus confirmatum esse. quo ex facto imperatoris repente mortui ab exercitu successorem suffectum esse apparet. nec id cuiquam mirum videbitur, si quantum detrimentum exercitus duce orbatus capere possit secum consideraverit. per exercitum autem eos Carthaginiensium cives intellegi debere, qui singulis agminibus praefuerunt, neminem fugiet; his enim exceptis Poeni eis solum gentibus, quae sub eorum ditione erant, et hominibus mercede conductis ad rem militarem utebantur. quod porro Hannibalem a populo, non a senatu confirmatum legimus, ne id quidem nostrae de imperatorum eligendorum ratione sententiae repugnat. nam tum accidisse veri simillimum est, ut sufetibus cum senatoribus non consentientibus ad populi arbitrium res rediret; putanda est enim Hannonica factio, iam pridem Barcinae familiae inimicissima, omnibus viribus enisa esse, ut ne homini inde oriundo praesertim tam adolescenti summum imperium permitteretur.

Quoniam hanc quaestionem ad liquidum perduxisse mihi videor, iam qui homines imperatores fieri soliti sint ostensurus illam, quam supra significavi, de sufetibus quaestionem quodammodo redintegrabo. constat enim e rerum gestarum memoria sufetes saepe exercitus Carthaginienses

---

[1]) 3, 13. [2]) Han. 3. [3]) 21, 3.

duxisse et maxima bella administravisse quaeriturque, utrum sufetes, simulatque is honor eis obtigit, etiam summi copiarum ductores facti sint, an, ut fierent, altero senatusconsulto opus fuerit. hanc opinionem secutos esse video Heerenum et Klugium, illam Beckerum, quippe qui in illo libro, quem inscripsit ,Vorarbeiten zu einer Geschichte des 2. punischen Krieges' alterum sufetem semper externis bellis gerendis praefuisse, alterum summum iudicem Carthagine resedisse probare studeat. aliud quaerere ab utraque opinione diversum cum admodum ineptum esset, nos Heereni eandemque Klugii sententiam amplexi sumus rationibus, quibus illi permoti sic statuerunt, diligenter perpensis. quas ut exhibeamus, proferemus veterum scriptorum locos huc pertinentes, et primum quidem eos, quibus sufetes simul imperatorum munere functos esse discimus. itaque Herodotus[1]) Hamilcarem, Hannonis filium, qui idem rex Carthaginiensium erat, eodem die quo Persae a Graecis ad Salaminem superati sunt, a Gelone et Therone in Sicilia fusum esse narrat. tum Justinus[2]) quoque Bomilcarem, Carthaginiensium regem, cum Agathocles in Africam invasisset, Poenorum copiis praefuisse tradit. item Diodorus[3]) Hamilcarem, quem priore loco toti exercitui in Sicilia praepositum esse narravit, eundem altero regem Carthaginiensium appellat. superest etiam Nepotis[4]) locus, quo Hannibalem, quem ab universo exercitu imperatorem factum, sicut antea vidimus, et idem et Polybius[5]) tradit, anno vicesimo secundo, postquam rex fuerit, praetorem factum esse dicit. ubi tamen dubitare licet, num recte Nepos Hannibalem regem fuisse narret annon potius nomen regium cum imperatorio confudisse putandus sit. eodem enim anno, quo rex ille fuisse fertur, ab exercitu imperatorem factum a populo confirmatum esse, cum res ipsa tum ratio temporum evincit. sed ne Nepotem aut errasse aut minus accurate locutum esse statuamus, etiam alium in modum, ut Hannibal, qui novem annos natus Africam reliquerit, vel absens sufes crearetur fieri potuit. quid enim impedit, quominus, sicuti alias sufetem saepe imperatorem, sic tunc im-

---

[1]) 7, 165. [2]) 22, 7. [3]) 20, 29 et 33. [4]) Han. 3 et 7. [5]) 3, 13.

peratorem post a populo etiam sufetem factum esse credamus? quod ubi accidit, forsitanque numquam alias acciderit, regiam quidem dignitatem anno confecto depositam esse apparet. ne autem res, de quibus nondum tractatum est, praecipiamus, illuc, unde egressi sumus, revertimur.

Probato igitur sufetem saepissime imperatorem fuisse, iam, ut is fieret, a senatu prius decretum esse docebimus. cuius rei, nisi compluria Diodori testimonia ad hanc aetatem pervenissent, sane nullo firmo argumento uteremur; sed sunt ea testimonia eiusmodi, ut nullam dubitationem relictum iri confidam. etenim primo loco Diodorus[1]) Dionysio, Syracusanorum tyranno, bellum adversus Carthaginienses parante ab eis imperatorem belli cum illo gerendi Magonem regem constitutum esse (*καταστήσαντες*) scribit. illud autem ‚constituere‘ quomodo adhibere potuisset, si, qui rex, idem eodem tempore imperator fuisset? porro qui Aristoteles, cuius quidem summa est auctoritas, et ducatum et regnum summos apud Carthaginienses honores usurpare potuisset, si utroque semper unus atque idem fungeretur? sed redeo ad duos, qui reliqui sunt, Diodori locos iam supra mihi memoratos. altero[2]) igitur Carthaginienses, Segestanis auxilium petentibus, imperatorem fecisse legimus Hannibalem tum *κατὰ νόμους* regnantem. sic autem repente nobis occasio oblata est, quid *βασιλεὺς κατὰ νόμον* sive *νόμους* apud Carthaginienses sibi voluerit disputandi. Klugius quidem eum fuisse putat, qui, dum alter bella gereret, domi suis muneribus fungeretur. sed vel hoc uno loco contrariam rationem demonstrari opinor; nam si etiam is, cui in urbe residendum erat, ad externa bella mittebatur, neuter sufetum, qui senatui praesideret, relictus erat, id quod evenisse nullo modo adduci possum ut existimem. itaque Hannibalem antea iam, ut bellum nescio quod exiguum locis ab urbe haud remotis gereret, regem, ut ita interpreter, legitimum factum tunc ad molem maioris belli suscipiendam creatum esse arbitror. quae sententia maxime adiuvatur, immo vero evincitur tertio Diodori loco[3]); belli enim cum Dionysio gerendi causa Himilconem regem *κατὰ νόμον* constitutum esse invenimus.

---

1) 15. 15. 2) 13, 43. 3) 14, 54.

ubi cum rex *κατὰ νόμον* plane eodem sensu quo imperator positus sit, alterum sufetem Carthagine remanentem non sic appellari potuisse consentaneum est. at, quaerat fortasse quispiam, nonne nomine ipso illa Klugii sententia comprobari videtur? ad quod responsuro ipso illi *κατὰ νόμους* adiecto singularis quidam rex mihi significari videtur, qui proprio regis munere non fungens militare quod officium, id quod et per leges licet et saepissime usu venit, sibi oblatum suscepit. nam si rex domi residens in senatu praesidet ad eumque refert, equidem non video, cur aliud ei nomen quam simplex regis induendum sit. postremo, ut nihil reticeam, quod hanc quaestionem illustrare possit, Diogenis verba[1]) tam obscura tamque carentia sensu mihi videntur, ut quid eis faciam plane dubitem omninoque ea praetermittenda optimum censeam, praesertim cum constet et parum diligenter Diogenem librum suum conscripsisse et iniquitate temporum valde corruptum eum nobis esse servatum. certe, ut nunc se verba habent, neque de nostra sententia quidquam deminuunt neque contrariam ullo modo affirmant.

Jam vero cum Carthaginienses in terris inter se distantissimis primum mercaturae propagandae causa, tum a Romanis sese defendendi fere bella gessisse memoriae proditum sit, non unum imperatorem tot negotiis suffecisse nemo mirabitur. itaque quamvis reges potissimum summa illa dictatorum auctoritate ornarentur, tamen, ubi alterum bellum ortum est, alter imperator eligendus fuit, quem et ipsum sicut regem e familia aliqua splendida virtutibus bellicis antecellentem ceteris creatum esse, etsi nihil certi de ea re nobis traditum est, coniectura facile assequi possumus.

Eadem sola coniectura usi, in quantum temporis spatium imperatores creati sint, pauca disserere possumus. hic nisi eos in totius vitae tempus creatos non esse nihil certi amplius constat. quod et per se consentaneum est, nam etsi veteres multo plura bella quam nos gesserunt, tamen si quando pace fruebantur, militibus dimissis imperator quoque nulli usui fuit, si praesertim more Carthaginiensium

---

[1]) Diog. Laert. in Plat. 82: *Πολιτική ἐστιν ἡ πολιτεία τῶν Καρχηδονίων· ἔχει γὰρ βασιλεῖς κατὰ νόμον.*

exercitibus conducticiis belligerabant, et loco quodam Justiniano[1]) evidentissime comprobatur. praedicantur enim undecim Hasdrubalis dictaturae, unde perpetuam dictaturam non fuisse manifeste apparet. cum autem omnino nihil certi ex veterum testimoniis erui possit, probabilissima videtur mihi Beckeri sententia, qui imperatorem tamquam regem primo annuum creatum esse putet, postea tandem, ubi longiora bella fieri coeperint, in plures annos constitutum, quot, opinor, bellum duraturum esse verisimile fuit. sic utilitate Carthaginienses permotos videmus, ut auctoritatem quamvis summam primum in complures annos prorogarent, tum eidem usque continuarent.

Unum adhuc addamus, ut totam hanc quaestionem de imperatoribus institutam penitus conficiamus. Livius[2]) enim dictatorem quendam senatus iussu, qui milites conduceret, in Hispaniam missum esse narrat. quod Klugius sic intellegit, ut statim magistratum civilem ordinarium summa auctoritate praeditum, qui ad delectus agendos in provincias mittebatur, dictatorem appellatum esse dicat. sed non adeo mihi videtur is unus Livianus locus urgeri debere nec ille dictator quidquam aliud fuisse nisi procurator, ut ita dicam, senatus singulari potestate instructus, cui cum Livius inter magistratus Romanos neminem omni ex parte similem inveniret, cuius nomen illi inderet, propter eam ipsam magnam potentiam dictatorem eum appellavit.

Absolutis iam singulis, quibus Carthaginienses usi sunt, magistratibus, nunc ad ea consilia transeo, quorum summa auctoritas fuit in rebus publicis administrandis. ac primum quidem de senatu, cuius aliquotiens in mentionem incidi, quae colligi poterunt ex veterum scriptorum testimoniis, ordine exponam. confitendum autem hic quoque est plurima desiderari, quibus accuratior cognitio efficiatur, et saepissime coniecturas adhibendas esse. Aristoteles enim, qui, ut alias, ita hic quoque potissimus fons habendus est, vel quia nulla ei causa fuit, cur res Carthaginienses aut detrectaret aut amplificaret, nihil aliud de senatu Carthaginiensium refert, nisi quod eum cum Lacedaemoniorum con-

---

[1]) 19, 1. [2]) 23, 13. extr.

tendit, *γερουσίαν* dicens respondere *τοῖς ἐκεῖ γέρουσιν*. tali ex comparatione, senatorum Lacedaemoniorum conditione licet optime nota, aliis certioribus testimoniis non accce-dentibus, nihil fere effici nemo non videbit. velut reges etiam utriusque nationis Aristoteles inter se comparaverat, quos tamen lange diversos fuisse supra mihi videor demonstravisse. simillimum in modum Polybius[1]) Poenorum senatum (*γερόντιον* appellat) et cúm Lacedaemonio et Romano confert. quo loco etiam clarius, quomodo eiusmodi collationes accipiendae sint, apparet; nam quoniam senatus Romanus et Carthaginiensis diversissimi inter se fuerunt, cum utroque tamen Carthaginiensis contenditur, eum et ipsum ab illis diversum fuisse patet. cum igitur adhuc non multum in disputatione nostra profecerimus nec tali modo umquam proficeremus, alia nobis adiumenta circumspicienda sunt ad quaestionem propositam. ac fatis propitiis apud eum scriptorem, qui proxime a flore reipublicae Punicae post Aristotelem abfuit cuiusque auctoritas in secundo loco nobis ponenda est, plerique loci huc pertinentes exstant. octies enim, quantum equidem repperi, apud Polybium praeter locum modo prolatum senatus Carthaginiensis mentionem factam invenimus. quibus breviter tractatis, postquam paucos ab aliis auctoribus servatos adiunxi, quae mihi summa eorum videatur esse, expediam.

Itaque primo loco[2]) Polybius Hannibalem, Carthaginiensium imperatorem, Booden, qui e senatoribus fuit, viginti navibus praefectum classiculam hostium adoriri iussisse narrat. secundo[3]) senatus Carthaginiensium, turpissimis pacis conditionibus primo Punico bello a Romanis oblatis, omnia perferre mavult quam hac lege amicitiam inire. tertio[4]) cum milites mercenarii descivissent et urbi ipsi obsidionem minitarentur, Carthaginienses semper nonnullos ex senatoribus ad eos mittebant, qui, quaecumque illi flagitarent, dum fieri possent, se facturos pollicerentur. quarto[5]) Carthaginienses Spendii et Mathonis exercitu graviter pressi triginta senatores cum recentibus copiis ad Barcam mittunt, ut Han-

---

[1]) 6, 51, 2. [2]) 1, 21, 6. [3]) 1, 31, 8 [4]) 1, 68, 5. [5]) 1, 87, 3.

nonem, qui antea una cum illo exercitui praefuit, in gratiam cum eo reconciliarent; id quod eis contigit. quinto [1]) celeber ille senatus initio secundi Punici belli habitus describitur, ubi cum legatus Romanorum sinu togae exhibito se et bellum et pacem ferre dixisset, rex Carthaginiensium eum utrum mallet, excutere iussit. qui postquam bellum se excussise respondit, simul plures senatorum (*τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου*), se accipere conclamaverunt. sic legati Romanorum senatusque Carthaginiensium discesserunt. sexto [2]) ei senatores nominantur, qui Hannibalem comitati una cum eo foedus cum Philippo, Macedonum rege, icerunt. septimo [3]) a Scipione duo *τῶν ἐκ τῆς γερουσίας*, quindecim *τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου* capti esse dicuntur. octavo [4]) denique inter condiciones pacis ante bellum Punicum tertium a Romanis oblatas ea affertur, ut Carthaginienses eis trecentos obsides, et eos filios *τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου καὶ τῆς γερουσίας*, darent. sunt praeterea pauci apud Livium [5]) et Diodorum [6]) loci, cognitione haud indigni nec nobis ullo modo praetermittendi; quorum tamen maximi momenti Livianus [7]) quidam est, quo triginta seniorum principes, qui pacem peterent, ad Scipionem missos esse narrat, idque sanctius apud Carthaginienses consilium esse maximamque ad ipsum senatum regendum vim.

His veterum testimoniis cognitis ut primum de statu senatus dicam, in duas eum partes divisum fuisse neminem, opinor, praeterierit. nec profecto quemquam recentiorum invenio, quin haec statuerit, praeterquam Ubbonem Emmium, cuius omnino descriptio reipublicae Carthaginiensis non eis, quae res postulat, studiis adiuvatur. sanctius autem id consilium, quod Livius dicit, a Graecis *γερουσίαν* aut *γερόντιον* nominatum esse, alterum ex multo maiore hominum numero compositum *σύγκλητον*, vel eo Polybii loco, quo duo *τῶν ἐκ τῆς γερουσίας*, *τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου* quindecim captos a Scipione esse legimus, probari mihi videtur. nam sane mirum esset, si ex minore consilio plures quam ex maiore urbe egressi in potestatem Romanorum venissent. quod autem

---

[1]) 2, 33. [2]) 7, 9, 1 et 4. [3]) 10, 18, 1. [4]) 36, 2, 6.
[5]) 21, 3; 23. [6]) 13, 43; 14, 47; [7]) 30, 16.

Klugius etiam *γερόντιον* maius illud consilium significare videri dicit, equidem, qua causa adductus sic statuat, non intellego. uno enim illo loco Polybiano,[1]) quo penes *τὸ γερόντιον* optimatum potestas fuisse dicitur, posteaque omnino respublica Carthaginiensis cum Romana et Lacedaemonia contenditur, nihil, quod ex ea sententia sit, colligi potest; sed cum ipse concedat *τὴν γερουσίαν* sanctius illud consilium fuisse, ipse nobis argumenta, quibus priorem illam opinionem oppugnaremus, tradidit. nam eam formam, quae est *γερόντιον*, a *γερουσίᾳ* separari non posse nemo erit quin cognoscat. verum tamen restat quoddam vocabulum, quo et ipso senatum significari apparet, incertum tamen, maioremne an minorem. dico *συνέδριον*, quod praeter unum illum locum Polybianum semel quoque apud Diodorum[2]) invenimus. etiam hic Klugio assentiri non possum, quippe qui *τὴν γερουσίαν* cum *τῇ συγκλήτῳ* coniunctam eo indicari putet. vocabulum quidem ipsum, utpote cum praepositione quae est *σύν* compositum, eius sententiam non magis affirmat quam nostram; immo vero quodlibet concilium ex pluribus hominibus constans, non autem ex duobus singulis consiliis compositum *συνέδριον* vocari posse usus docet. sed ne sensus quidem locorum, ubi *συνέδριον* invenitur, Klugii opinionem confirmat. nam cum constet omnia, quaecumque cum exteris nationibus agenda erant, *τῇ γερουσίᾳ* curae fuisse, etiam legatos Romanos in ea senatus parte auditos esse consentaneum est pluresque *τῶν γερουσιαστῶν* se bellum accipere conclamasse. (Polyb. 2, 33). Diodorus autem cum narret, postquam *ἡ γερουσία* de bello pulchre decreverit, tres exercitus facere *τοῖς συνέδροις* visum esse, quaenam alia interpretationis ratio a sensu communi non abhorrens reperiri potest, nisi ut scriptorem posteriore loco sermonis variandi causa *συνέδρους* pro *γερουσιασταῖς* posuisse arbitremur? cum praesertim paucis verbis inserendis rem ad aliud consilium rediisse declarandum fuerit. quibus causis, ut brevis sim, permoto etiam *συνεδρίῳ* idem quod *γερουσίᾳ* vel *γεροντίῳ* significari persuasum mihi est.

Hac una quaestionis parte absoluta, quot senatores fuerint, iam disseramus. qua in re omnibus testimoniis de-

---

[1]) 6, 51, 2. [2]) 20, 59.

stitutos nihil nos profecturos esse libere fateamur. quodsi Mommsenii sententiae subscribere possem, qui triginta senatores additis duobus regibus fuisse putat, vehementissime gauderem; sed tales sunt loci, quibus ille nisus eam sibi opinionem probavisse videtur, ut diligenter eis consideratis nihil inde certi consequatur. bis enim, et apud Polybium et apud Livium, numerum qui est triginta cum senatoribus coniunctum legimus. quod si primo aspectu nobis non casu factum videtur, unde coniecturam de numero senatorum fieri posse putemus, non est cur mireris. et profecto locus ille Livianus (30, 16) solus inspectus, quominus triginta cum senioribus construamus et id in genetivum casum redactum a principibus pendamus, nos non impedit estque probabile, nisi quidquam certius exstaret, ipsi facilitati, qua hoc modo nostrae de senatu Carthaginiensium cognitiones augerentur atque confirmarentur, non resistentes plerosque rem sic acturos fuisse. verum locus ille Polybianus (1, 87, 3,) nullo modo amoliendus ita interpretari nos non sinit. nec me pudet confiteri me diu conatum esse hunc locum cum sententia Mommsenii conciliare; sed tam expresse Carthaginienses triginta homines ex senatu (τῆς γερουσίας) delegisse dicuntur, ut omnes conatus senatum e triginta hominibus constantem efficiendi vani evaserint. nihil igitur amplius de senatorum numero scimus, nisi plures eos quam triginta fuisse, et quidem, opinor, multo plures, nam si paullo, certe apud Polybium non triginta ex eis electi, sed totus senatus ad idem, ad quod illi, perficiendum missus esset. porro si in republica tam parva quam, ubi cum Carthaginiensi eam contuleris, Lacedemoniorum, penes triginta homines summa gubernandi potestas fuit, eundem numerum Carthagine non suffecisse si non manifestum, probabile quidem est, neque Aristotelem, quamvis multa praeterierit, hanc nnmeri similitudinem quam maxime singularem omissurum fuisse putaverim.

Simili autem computatione de numero senatorum, qui τὴν σύγκλητον formaverunt, notionem nobis fingere licet. nam cum Justinus[1]) centum ex numero senatorum iudices

---

[1]) 19, 2.

electos esse narret, senatores multo plures fuisse apparet. quot autem fuerint, plane ignotum est. Blochius in annotatione ad Theodori Metochitae caput de republica Carthaginiensi, quod Klugii libro adiectum est, quadringentos eos fuisse censet. argumenta autem, cur sic censeret, non addidit; nam nos quidem nullum iam vetus testimonium habemus, quo de ea re certiores fiamus.

Sed missis tandem his quaestionibus parum felicibus ad munera publica, quae curanda utrique senatus parti commissa fuerunt, transeamus. quae loci supra a nobis allati tam manifeste docent, ut nihil fere amplius nobis sit addendum. senatum minorem, *τὴν γερουσίαν*, amplissimum Carthagine consilium fuisse ex omnihus, quae ab eo gesta legimus, satis apparet. nam populorum exterorum legati, ubi publicarum rerum causa Carthaginem venerunt, in senatu audiuntur ibique negotio diligenter tractato, quid Carthaginiensibus visum sit, eis respondetur. imperatores autem tam ingenti potestate praeditos a senatu creatos esse iam supra demonstravisse nobis videmur, quos tamen eidem senatui, si minus ipsi morem gerebant, statim revocare licuit. idem, si delectus faciendi erant, quemlibet in provincias misit, qui suo nomine eos haberet, idem nuntios ab imperatoribus bellum gerentibus ad cives missos primus accepit. nec minus nonnulli ex eo delecti semper summos duces comitabantur, qui quamvis in rebus militaribus illorum potestatem restringere non possent, opus tamen erat eorum consensu ad foedera cum aliis populis ineunda, saepeque ab imperatoribus singulis copiarum partibus, ut expeditiones facerent, praeponebantur. quaecumque senatus una cum regibus statuerat, ea rata fuerunt, ipsorumque ex voluntate pendebat, quam rem etiam cum populo communicari vellent; id rursus ut oporteret fieri, nihil aliud quam ipsorum dissensus eos cogere poterat; cuiusmodi dissensio ut quam rarissime inter se intercederet, illorum ipsorum maxime retulisse nemo non intellegit. quae cum ita sint, vel ex omnibus comparationibus apud veteres inter Carthaginienses alienosque magistratus institutis nulla mihi aptior videtur esse, quam quae apud Polybium invenitur inter senatum Romanum et Carthaginiensem facta, siquidem penes illum summam in re-

publica moderanda auctoritatem fuisse constat. nec immerito hunc Ubbo Emmius quasi animam civitatis Poenorum appellat.

Talem igitur potestatem cum senatus minor vel ἡ γερουσία apud Poenos obtinuerit, quanta auctoritas maioris senatus (τὴν σύγκλητον Graeci vocant) fuerit, vel inde suspicari licet. ac profecto semel tantum ita eius mentio fit, ut negotium publicum ad eum relatum esse videamus. narrat enim Diodorus[1]) litteras Dionysii, Syracusanorum tyranni, quibus bellum Carthaginiensibus indixit, Carthaginem ad τὴν γερουσίαν allatas, postea in τῇ συγκλήτῳ quoque et in contione lectas esse. quo ex loco si quidquam, admodum pauca conici posse liquet. itaque si Mommsenio eius auctoritatem nequaquam magnam fuisse concedendum est, quae tandem res ad eius provinciam pertinuerint, ex paucitate testimoniorum accurate cognoscere iam non possumus. equidem, si meum mihi de ea re iudicium proferendum est, eum de eisdem quidem rebus omnibus atque τὴν γερουσίαν, si modo tempus suppetebat, quid sibi videretur aperuisse, suffragio tamen carentem decreta edere non potuisse arbitror et sic factum esse, ut apud veteres auctores plerumque solam τὴν γερουσίαν res publicas constituisse inveniamus. cum autem apud Diodorum loco laudato primum ἡ γερουσία, deinde ἡ σύγκλητος, postremo populi contio nominatae sint, haud scio an ne is ordo quidem fortuitus omninoque de rebus publicis ita actum sit, ut a minore senatu προβούλευμα quoddam iterum in controversiam vocandum τῇ συγκλήτῳ propositum sit rursusque ab ea ad τὴν γερουσίαν redierit, quae rem aut per se ratam esse iuberet aut ad populum reiceret.

Jam si quaesiverimus, id quod in quoque magistratu tractando faciamus necesse est, a quibus, ex quibus, in quot annos senatores sint electi, an omnino non electi sed sorte ducti, denuo nihil certi memoriae proditum esse nobis erit confitendum. sed cum Aristoteles identidem instituta Carthaginiensium prae Lacedamoniis idcirco effert, quod virtutis ratione habita magistratus ex optimis gentibus eligant, id ad senatum quoque referendum esse pro certo habeo.

---

1) 20, 47.

mox divitiis quoque magistratuum candidatos non mediocriter commendatos esse etiamsi philosophus non expressis verbis addidisset, in urbe, quae omnem fere operam mercaturae faciendae opibusque parandis navabat, ratione ipsa multisque exemplis admonitos credere nos oportet. divitiae igitur cum tantum valerent ad honores in republica Carthaginiensium adipiscendos, senatores electos, non sorte ductos, et quidem a populo, persuasum mihi est. nam cuius gratiam, nisi vulgi, canditati locum senatorium petentes ambitione captare studuissent? senatores quidem ipsi divitiis praepollentes tantum abest, ut largitionibus permoti sint, ut his ne obtulisse quidem eas quemquam probabile sit; aut si id quoque ius populo demptum esset, quomodo, tam paucis in eius potestate restantibus, non dico Aristoteles semel atque iterum *δημοκρατίαν* Carthagine florere dixisset, sed illa saltem aequabilitas rectaque mixtura reipublicae Carthaginiensis et a Cicerone et a Polybio praedicari potuisset? quoniam igitur eos, qui in maiorem senatum reciperentur, a populo delectos esse ostendi (nam *τὴν γερουσίαν* ipsam sibi senatores ex maiore senatu cooptavisse probabilissimum mihi videtur), in quantum temporis spatium senatores creati sint, breviter, si potero, persequar.

Atque, ut saepissime, sic hic quoque veteribus testimoniis nihil certi afferentibus, non mirum videtur, quod recentiorum de ea re sententiae multum inter se discrepant. equidem non video, cur ab Heereni opinione discedendum sit, qui senatores perpetuos fuisse arbitretur, hanc potissimum causam prae se ferens, quod aliter Carthaginienses per tot seculorum decursum in mercatura facienda, oppidis condendis, finibus propagandis non facile adeo sibi constitissent. sic et apud Lacedaemonios et Romanos, ut qua optimatium potestas praepolleret, senatores non prius senatorio loco quam e vita cesserunt, Atheniensium autem, apud quos populi auctoritas quam maxime floreret, *τοῖς βουλευταῖς*, ut quam plurimi prudentiae civilis periti fierent, quot annis abdicandum fuit. — Sed ne ea quidem sententia, qua in certum annorum numerum eos electos esse statuitur, ulla re, quae nobis de rebus Carthaginiensibus nota est, refellitur; itaque hanc qui sibi persuasit, redarguere eum non possumus.

quod autem Mommsenius senatores annuos sibi fuisse videri dicit, universe quidem, pace summi viri dicere liceat, ei assentiri non possum; cum tamen sub finem belli Hannibalici et insequentibus temporibus populi potestatem magis magisque auctam esse memoriae proditum sit, et, quem ad modum id factum sit, maxima ex parte ignoremus, tunc etiam senatus auctoritatem aliquatenus comminutam esse res ipsa docet.

Sed iam pervenimus ad quaestionem omnium ad rempublicam Carthaginiensium pertinentium vel difficillimam. Aristoteles enim eodem loco, quo reges et senatum Carthaginiensium cum Lacedaemoniis confert, etiam cum ephoris centumquattuor virorum magistratum contendit. qua ex comparatione, qui illi centumquattuorviri fuerint, cognoscere nos non posse satis apparet; nam quantum discriminis interfuerit inter instituta tamen secum comparata, non semel vidimus. id tamen, opinor, dubium esse non potest, quin magistratus cum summo Lacedaemoniorum comparatus, siquidem ephoros omnes alios Lacedaemone auctoritate superasse constat, et ipse amplissima potestate praeditus fuerit. permirum igitur esset, si eiusmodi Poenorum magistratus tantummodo semel apud scriptores antiquos mentionem factam inveniremus, id quod leviter rem intuenti sane ita videri potest. sed cum bis de centumvirorum magistratu apud veteres legamus, quid magis probabile videtur quam idem collegium atque centumquattuor viros paullum immutato nomine intellegi debere? quos duos locos ut statim proferamus, non multo post Aristoteles, quam de centumquattuorviris locutus est, inter munera quinqueviratuum Carthaginiensium id quoque enumerat, quod centumviros, summum magistratum, creant; itemque Justinus[1]), cum Magonis nepotes nimios sibi spiritus nimiamque potestatem sumere coepissent, centum e numero senatorum iudices sumptos esse narrat, qui reversis a bello ducibus rationem rerum gestarum exigerent. his locis, ubi centumviros iudicum munere functos esse certiores facti sumus, tertius Livianus[2]) accedit, quo iudices ipsa eadem nimia potestate, cuius propulsandae causa primo con-

---

[1]) 19, 2. [2]) 33, 46.

stituti erant, paullatim arrogata ab Hannibale in pristinam auctoritatem reiectos esse discimus. quae cum ita sint, ei qui de republica Carthaginiensium scripserunt, quid centumviros, quid centumquattuor viros fuisse statuerent, vehementissime inter se discrepuerunt. Heerenus quidem et Klugius non eundem illos magistratum fuisse contendunt, Emmius, Boetticher, Mommsenius fuisse declarant. sed videndum est, ne doctissimi illi duo viri discrepantiam appellationum, quae apud Aristotelem invenitur, maioris momenti duxerint. quamquam enim Klugius toto ordine contrapositorum, quare duo illi magistratus inter se diversi fuerint, demonstrare sibi videtur, equidem tamen nihil me eo profici putare fateor. nam ut unum afferam argumentum ab illo usurpatum, eo suam sententiam affirmari arbitratur, quod centumquattuor viros Aristoteles simpliciter magistratum, centumviros summum magistratum appellaverit; quod quam leve sit, facile quisque intelleget. quin etiam id ipsum, quo Aristoteles utitur, ἡ μεγίστη ἀρχή, potius in nostrum usum vertendum esse censeo. quod enim de summo quodam magistratu philosophus nihil aliud praedicat, quam eum a quinqueviratibus creari, id tantummodo idcirco factum esse potest, quia de eodem magistratu paullo aliter nominato non multo ante compluria dicta sunt, quibus iam ibi summam eius auctoritatem fuisse suspicari licuit. cum autem supra demonstraverimus, quanta potestas penes senatum et summum imperatorem fuerit, vix fieri potest, ut praeter eos etiam duo alii magistratus ea potestate instructi fuerint, quae summa merito dici possit. cum enim multi simul multum valent, singulorum magistratuum potestatem vel alterorum auctoritate admodum infringi res ipsa docet. iam vero ipsa Justini narratio de centum iudicibus constitutis opinionem nostram vehementissime confirmat. nam cum propter id potissimum eos delectos esse scribat, ut eis duces e bello reversi rationem rerum a se gestarum redderent, ephoros autem hac ipsa causa constitutos rationem non solum a ducibus, verum ab omnibus magistratibus Lacedaemoniis repoposcisse constet, nonne eam summam causam putamus, cur philosophus ephororum centumquattuor vel, quos iam in eorum locum substituere licet, centumviros similes esse dixerit? atque

operae pretium est videre, quantis angustiis Klugius sententiam suam defendendo teneatur. nam etiam atque etiam id ei monendum est, centumviros, quos Justinus expresse iudices nominat et quos Livium eosdem per iudicum ordinem intellegere vidimus, nullo modo lites diiudicavisse, sed id muneris ad centumquattuor viros pertinuisse, qui propter nihil aliud cum ephoris compararentur, nisi ob iuris dictionem sibi exercendam (quis autem credat ephoros propter munus a praecipua sua provincia satis alienum cum aliquo Carthaginiensium magistratu comparatos esse, alio Poenorum suppetente collegio, quod eadem atque illi rationis exigendae causa constitutum erat?), iudices autem appellatos esse, etiamsi nulla iudicia habuissent, peculiari quodam sensu, quemadmodum ipsum sufetum vocabulum a verbo Hebraico שָׁפַט, cuius primum iudicandi, tum etiam regnandi sensus esset, originem duceret. sic autem cum quattuor Carthaginiensium consilia, senatus maior et minor, centumviri et centumquattuorviri, evaderent, quos collocare in reipublicae, ut ita dicam, compagine et discriminare admodum difficile esset, necopinato centumviros eosdem atque senatores *τῆς γερουσίας*, nisi fallor, fuisse sibi videri aperit. eiusmodi argumentatio quanto opere vacillet quamque aptam redarguendi ansam ipsa praebeat, nihil me opus est demonstrare. denique quod iudicia iam ante illos centum iudices Carthagine fuerint Klugius necesse esse dicit et ea a centumquattuor viris exercita esse, quoniam Magonis posteri leges et iudicia neglexisse dicerentur, exstitisse iudicia Carthagine res ipsa docet, a quibus tamen habita sint, non est memoriae proditum. fortasse antea ad senatum ipsum etiam iuris dictio pertinuit, sic ut de omnibus iniuriis apud eum querendum esset et omnes res ambiguae ad eum deferendae; quod si a veritate non abhorret, inquirendas quidem causas quibusdam ex se delectis tradidisse, sententias autem ipse tulisse facile putandus videtur.

Cum igitur non sit dubitandum, quin, quos Aristoteles centumquattuorviros vocat, plane eidem habendi sint atque centumviri iudices, cur diversis appellationibus eos inditos inveniamus, facile intellegere licet. centumquattuor enim illos fuisse patet; itaque quo loco prius eorum apud Aristotelem

mentio fit, eo nomine appellantur; sed quod saepe fit, ut numerus frequenti usitatoque aliquo numero paucis vel superior vel inferior cum hoc ipso numero commutetur, id hic quoque usu venisse reperimus. sic autem postquam accidit, ut iudices paullatim nullo nomine nisi centumvirorum induerentur, origines reipublicae Carthaginiensis non diligentius perscrutati posteriores revera illos centum modo viros fuisse putare coeperunt, nec possumus mirari Iustinum, vel ubi de primordiis iudiciorum loquitur, centum iudices constitutos esse narrare. quam narrationem qui accuratius legerit, Mommsenii sententiae astipulari non gravabitur, quippe qui illa iudicia e studio optimatum nimiae unius familiae potestati ipsis legibus obsistendi profecta esse putet; fieri autem non potest, quin quam perversissimam habeamus Ubbonis Emmii opinionem (is enim popularis status patronos eos fuisse arbitratur), siquidem eos, qui in republica libera maiorem sibi potestatem parare student, plerumque vulgi auxilio uti constat. at si Emmius hac in re comparatione inter ephoros et centumviros ab Aristotele instituta nititur, id magis e nostra quam e sua re facit; nam philosophus id potissimum inter utrosque interesse dicit, quod ephori e quolibet genere forte oblato, centumviri secundum virtutem eligantur.

Sed missa hac minoris momenti disputatione, quomodo iudicia ab illis centumviris administrata sint, quaeramus. etenim quam saeve illi in imperatores adversa fortuna usos plerumque animadverterent, sic ut nonnulli iam, antequam causa eis dicenda fuerit, mortem sibi consciscerent, supra exposui. duo igitur exstant Aristotelis[1]) loci, ubi de ratione habendorum Carthagine iudiciorum loquitur, quorum tamen ut alter alterum confirmet compleatque, tantum, ubi leviter eos intuitus es, abest, ut quam maxime inter se discrepare videantur. quos, ut oculis subiectos habeamus, hic perscribo. *ἀριστοκρατικὸν θετέον*, inquit, *τὸ τὰς δίκας ὑπὸ τῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάσας καὶ μὴ ἄλλας ὑπ᾽ ἄλλων, ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονι*, et in tertio libro *τὰς δίκας δικάζουσι* (sc. *οἱ Καρχηδόνιοι*) *κατὰ μέρος, οἷον ἐν Λακεδαίμονι τὰς τῶν συμβο-*

[1]) polit. 2, 11; 3, 1.

λαίων δικάζει τῶν ἐφόρων ἄλλος ἄλλας, οἱ δὲ γέροντες τὰς φονικάς, ἑτέρα δ' ἴσως ἀρχή τις ἑτέρας. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ Καρχηδόνα· πάσας γὰρ ἀρχαί τινες κρίνουσι τὰς δίκας. igitur cum priore loco idcirco iudicia Carthaginiensium a Lacedaemoniis differre legamus, quia Carthagine omnes causae a certis magistratibus (*ὑπὸ τῶν ἀρχείων*) iudicentur, non aliae ab aliis, quemadmodum Lacedaemone, posteriore iudicia Carthagine eodem modo quo Lacedaemone sese habere dicuntur, sic ut quidam magistratus (*ἀρχαί τινες*) i. e. singuli (nam aliter verba accipi nequeunt) omnes causas iudicent. quibus duobus locis quid inveniri posse videtur magis inter se contrarium? bis enim iudicia Carthaginiensium cum Lacedaemoniis contenduntur, sed semel ut paria, semel ut disparia. coniectura autem uti in alterutro loco, codicibus mirum in modum conspirantibus, plerique interpretes ne conati quidem sunt; Schneiderus quidem, postquam posteriore loco particulam *οὐ* ante voces *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περι Καρχηδόνα* inserendum probabile posse videri dixit, id quod obiter verba inspicienti certissimum videri potest, sensu tamen renitente, praesertim cum voces *ἀρχαί τινες*, quae sequuntur, tum apte intellegi nequeant, ipse eiusmodi commutationem reicit. item Klugius, etiam hic summa doctrina et sagacitate usus, rem sic solvere conatur, ut altero loco Aristotelem verbum, quod est *κρίνειν*, altero *δικάζειν* usurpasse moneat. quorum illud sensu inquirendi in aliquam rem praeditum esse, hoc sententiam de aliqua re ferendi. itaque Carthagine in singulas quidem causas a singulis iudicum collegiis inquiri, coniunctis tamen omnibus iudicibus opus esse, ubi sententia ferenda sit. sed haec quamvis argute excogitata sint, non tamen difficultatem tollunt; nam et alter Aristotelis locus quomodo tum interpretandus esset, vix quisquam dicere posset, nec sensus tam circumscriptus in utroque verborum Graecorum inest, qui, quominus alterum pro altero saepissime ponatur, impediat. altera igitur ratio circumspicienda est, qua quaestionem admodum vexatam ad liquidum perducamus. ante omnia autem id statuendum est, quemadmodum iudicia Lacedaemoniorum comparata fuerint, quibus Aristoteles Punica modo similia, modo dissimilia fuisse dicat. id quod ex secundo

philosophi loco optime discimus; singulas enim civiles causas ad singulos ephoros pertinuisse dicit, capitales ad senatores, alias ad alios. hoc cum tenueris, quomodo Aristoteles cum istiusmodi iudiciis Carthaginiensia et propter similitudinem et propter dissimilitudinem comparaverit, facile intelleges. interfuit enim illud inter Lacedaemoniorum et Poenorum iudicia, quod apud illos nullus iudicum ordo exstitit, qui solus, ut Carthagine, et inquirebat et iudicabat causas; commune autem hoc secum habuerunt, quod, quemadmodum Lacedaemone inter et ephoros ipsos et alios magistratus singulae causae iudicandae dispertiebantur, sic Carthagine ad singula iudicum collegia, quae tamen cuncta iudicum ordinem efficiebant, singula causarum genera decernenda pertinebant. hac explicatione probata, quam res ipsa commendat, quominus duo illo loci Aristotelici plane inter se congruant, nihil iam obstat. iudicia igitur, ut summam huius quaestionis repetam, ita apud Carthaginienses exercita sunt, ut singula centumvirorum collegia de singulis causarum generibus cognoscerent.

Sequitur iam res earum, quae de forma reipublicae Carthaginiensis memoriae proditae sunt, non minime obscura. etenim iam supra centumviros a quinqueviratibus (*πενταρχίας* Aristoteles appellat) creatos esse exposuimus. quibus de quinqueviratibus solus hic exstat memorabilis Aristotelicus locus: *τὸ δὲ τὰς πενταρχίας κυρίας οὔσας πολλῶν καὶ μεγάλων ὑφ᾽ αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι καὶ τὴν τῶν ἑκατον ταύτας αἱρεῖσθαι τὴν μεγίστην ἀρχήν, ἔτι δὲ ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων, (καὶ γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες) ὀλιγαρχικόν, τὸ δ᾽ἀμίστους καὶ μὴ κληρωτὰς ἀριστοκρατικὸν θετέον.* ubi cum potestas eorum tam magna esse dicatur, omnes qui de republica Carthaginiensi scripserunt, accuratius eam perspicere cupiverunt. attamen quam difficile sit ex hoc uno loco eam, quae sufficit, cognitionem sibi adquirere non est quod dicam. itaque Ubbo Emmius tantum non interpretatione verborum Aristotelicorum contentus pauca vel nihil adiungit, idque haud scio an optime fecerit; nam ea ipsa verba false interpretatus est, quinqueviros a centumviris creatos esse dicens. Schneiderus, doctissimus ille politicorum librorum editor, Sylburgii emendatione, qua *μένοντες* pro *μέλλοντες*

scribitur, recepta externos eos magistratus fuisse putat, tanta potestate praeditos, ut, etiamsi in urbe manerent, eandem tamen potestatem retinerent. quae explicatio cum parum per se probabilis est (ea enim fuit condicio veterum rerumpublicarum, ut, cum caput ipsum quasi maiestatem totius civitatis repraesentaret, omnes magistratus, qui in gubernanda civitate alicuius momenti essent, in capite sedem haberent), tum consensus omnium librorum manuscriptorum eam coniecturam refellit, sic ut nemo recentiorum eam receperit. cautissime Heerenus eis curam vectigalium exigendorum administrandorumque et publicae securitatis commissam fuisse putat, probabile autem esse eos ex senatu electos. Mommsenius, utpote in tam brevi reipublicae Carthaginiensis descriptione, nihil, quid de illis sentiat, profert. solus Klugius cognitionem accuratiorem quam ceteri omnes de quinqueviratibus sibi finxit, testimoniis tamen deficientibus potius sagacitatis, credo, doctrinaeque specimen exhibuit, quam ut aliquem sententiae suae assensorem sit adeptus. comparatis enim decarchis, quos Lacedaemonii in urbes expugnatas mittere solebant, eodem modo in singulis regionum subiectarum capitibus quinqueviratus fuisse arbitratur. neque hoc effecto contentus etiam singulos magistratus, e quibus pentarchiae constiterunt, sacerdotem Herculis, quaestorem, boëtharchum, censorem, aedilem municipalem enumerat. profecto si res ita se haberet, multum inde ad integram reipublicae Carthaginiensis cognitionem proficeremus; sed Klugii sententiam omni auctoritate carere nemo non videt. itaque iam a Krafftio in Paulyi libro eo, quod provinciae semper ab uno administratae sint quodque decarchi non a principio apud Lacedaemonios exstiterint, sed a Lysandro demum sint constituti, Klugii opinio redarguitur. percensis igitur his recentiorum opinionibus, quid et constare et probabile esse videatur, breviter exponam.

Constare autem admodum pauca, quoniam unum nobis veterum testimonium huc referendum conservatum est, nemo mirabitur. nam hoc loco paullum profici comparatione eorum, quae apud alios populos similiter instituta fuisse videntur, vel audacissimus, opinor, debet concedere. itaque, id quod primo nobis huc facere visum est, si Corinthi senatum in

octades dispertitum fuisse legimus, a singulis hominibus octo tribuum, quae ibi exstiterunt, compositas, tamen re diutius versata id ad hanc quaestionem illustrandam adhibere non conabimur. sed de eo iam omnes consentiunt, non de uno magistratu cogitandum esse, qui ex quinque viris constiterit, sed, id quod verba Aristotelis manifeste declarant, de multis quinqueviratibus. ultra vero quamvis nihil certi inde colligi possit, vehementissime probo Heereni sententiam omni probabilitatis specie commendatam. nam cum nullum adhuc apud Carthaginienses magistratum invenerimus, a quo tributa exacta et aerarium administratum et publica disciplina exercita sit, quae omnia summae auctoritatis esse apparet, quinqueviratuum autem, penes quos maxima potestas fuisse dicitur, nulla certa munera memoriae sint prodita, nonne consentaneum est eis illam provinciam evenisse existimare? ita si statuerimus, optime cum ea sententia congruet id quod apud Livium[1]) legimus, quaestorem Hannibalis praetoris voluntati adversatum ideo tantos sibi spiritus sumpsisse, quia mox in centumvirorum numerum recipiendus erat. nam quaestorem illum ob nihil aliud a Livio appellatum esse, nisi quod quaestoris Romani instar cum publicis pecuniis rem habuit, apparet; itaque cum idem de quinqueviris veri simillimum sit, quaestorem ipsum idem quod quinquevirum significare censeo. si ergo quaestor, quinqueviri eo magistratu abdicato iudices facti alio magistratu fungebantur, vel, ut ait Aristoteles *ἐξεληλυθότες ἄρχουσιν*. hoc autem ordine immutato quid *τὸ* ‚*καὶ μέλλοντες* (sc. *ἄρχειν*) *ἄρχουσιν*‘ sibi velit, cognoscimus; nam iudicum munere postea functuri iam in alio magistratu, quinqueviratu, fuerunt. rem autem tanti momenti tam breviter tamque praecise expressam esse, in Aristotele videlicet non est mirandum, praesertim si quorundam opinionem sequeris, qui libros politicos ex schedis tantum Aristotelis conflatos esse arbitrantur. porro ubi et quinqueviros et iudices per complures annos in potestate mansisse tenueris (id quod de iudicibus ex loco Liviano patet, quandoquidem Hannibal legem pertulisse dicitur, ne quis biennium continuum iudex esset, de quinqueviris propter

[1]) 33, 46.

usum quendam et consuetudinem, quibus ad munera eorum opus est quaeque solo temporis spatio adquiruntur, probabilissimum est), quare Aristoteles eos diutius quam ceteros magistratus auctoritate praeditos fuisse dicat, optime intellegemus. at enim sic quoque accuratiorem rei cognitionem desiderari propter fontium nostrorum condicionem, non facile quisquam negabit. his tamen contentus, quae vel certa vel veri quam simillima sint, inutilibus coniecturis, cum omni testimoniorum fundamento careant, supersedendum mihi censeo.

Aliquotiens iam Hannibalis praetoris mentione facta, qui nimiam iudicum arrogantiam coercuit, occasione oblata hoc loco, quid de eo magistratu mihi videatur, quam brevissime exponam. itaque eum summa auctoritate instructum fuisse, qui centumviris, quos quasi propugnaculum reipublicae Carthaginiensis Mommsenius iure appellat, solus se opponere ausus sit, satis apparet, etiam Zonarae[1]) testimonio, quo praetura ἡ μεγίστη τῶν Καρχηδονίων ἀρχή dicitur, non exstante. cum autem in republica Carthaginiensium, qualem descripsimus, vix aliqui locus tanto magistratui reliquus esse potuerit, equidem optimum duco astipulari Klugii sententiae, qui singulari quadam potestate, quae antea non exstitisset, Hannibalem rerum gestarum gratia indutum esse existimat; nam id tum demum Carthaginienses intellexerunt, nisi tali ratione statum reipublicae iam non posse servari. ideo etiam regiam potestatem, quamdiu Hannibal praeturam gesserit, abrogatam fuisse, ne ullo modo impediretur in exsequendis, quae vellet, non nimis audacis putem sibi statuere. certe cum, quoad Hannibal Carthagine restitit, nusquam, quod ego sciam, sufetes memoratos invenimus, praeterquam quod Justinus Hannibalem ipsum consulem appellat, tum postquam exulatum abiit, in foro turba convenisse dicitur principem civitatis quaerentium[2]).

Advenimus ad eam dissertationis partem, qua, quid populo iuris in republica Carthaginiensium concessum fuerit, quaeratur. atque omnino certam potestatem penes populum fuisse infitias iri non potest; nam et Polybius et Cicero, sicuti supra

[1]) annal. 1, 443 et 449. [2]) Liv. 33, 48; Just. 31, 2.

vidimus, propterea rempublicam Punicam efferunt, quod ex tribus reipublicae formis optime temperata sit. idem Aristoteli placuisse, ex pluribus locis cognoscimus; quamquam enim id quod libri II. capite XI. dicit, si quidquam aliud, hoc signum reipublicae ordinatae esse, quod, quamvis penes populum summa rerum sit, legum tamen institutorumque ordinem servet, fortasse minus ad civitatem Carthaginiensium referendum est, tamen alii duo loci exstant haudquaquam neglegendi, quibus idem, etiamsi paullo imminutum, confirmatur. altero[1]) enim ‚ubi reipublicae forma' inquit ‚ad divitias, virtutem, populum spectat, quemadmodum Carthagine, haec aristocratia est'; altero[2]) ‚in multis civitatibus, ubi penes paucos summa rerum est, quaestum facere non licet, sed legibus, ne id fiat, provisum est; Carthagine autem, ubi penes populum, quaestum faciunt necdum rerum commutatio facta est.' quibus ex locis, quibus alios quos[3]) adiungas, Aristotelem rempublicam Carthaginiensium modo aristocraticam, modo democraticam nominare manifeste apparet neque eo quidquam aliud exprimi, nisi quod Polybium et Ciceronem apertius indicasse demonstravimus. quam ipsam mixturam ad ea referendam esse, quae respublica Carthaginiensium *περιττὰ πρὸς τοὺς ἄλλους* habeat, ut ait Aristoteles, iam Schneiderus suo iure monuit. at enim, quamvis equidem, sicuti alii fecerunt, pro *ἐν Καρχηδόνι δὲ δημοκρατουμένῃ* apud Aristotelem *ἐν Καρχηδόνι δὲ ἀριστοκρατουμένῃ* legendum esse minime suspicer, nam communis sensus eo loco Carthaginiensium *δημοκρατίαν* aliorum populorum *ἀριστοκρατίᾳ* opponi docet, tamen populi potestatem prae optimatum auctoritate admodum exiguam fuisse negare vix ausim. nam tot rerum et fere summarum administratione ad sufetes, imperatorem, senatum, centumviros, quinqueviratus pertinente, id quod iam saepius urgendum putavimus, frustra provinciam magnae cuidam aliorum potestati assignandam circumpicimus. itaque omnium eorum, quae Ubbo Emmius tamquam populo licita enumerat, ne unum quidem suffragiorum ius in creandis magistratibus integrum ei concedendum est; solos enim senatores a populo creatos esse

---

[1]) Aristot. pol. 4, 7. [2]) 5, 12. [3]) 5, 12 init.; 5, 7.

supra comprobavisse mihi videor. id quoque iam supra, ubi de regiis officiis egimus, attigi, quascumque res transigere senatus sufetumque fuit, de eis sententiam ferre tum modo populo licuisse, cum illorum utrorumque sententiae in diversum tenderent, idque non ita saepe factum esse existimandum. — Constat autem tantam populi potestatem dilabente denique republica Carthaginiensium maiorem fieri coeptam esse, magis tamen usu ferente, quam quia legibus sancitum esset. id ipsum, ut labante republica factum est, sic ad magis magisque labefactandam fortasse non minimum valuit. nam tum demum populares rerumpublicarum status apud veteres nationes laetissime floruisse videmus, cum praestanti quis ingenio rerum potitus, ut democratiae nominarentur, essent tyrannides effecerat.

Restat, ut quae ratio illorum *συσσιτίων τῶν ἑταιριῶν* fuerit ab Aristotele cum phiditiis Lacedaemoniis comparatorum, explicemus, nam etiam haec inter publica Carthaginiensium instituta alicuius momenti fuisse videbimus. quo loco cum omnes fere recentiorum, qui de republica Carthaginiensi scripserunt, non immerito inter se consentiant, nos praeter nova nonnulla argumenta, quid illis videatur, quam novi aliquid proferre conari satius duximus. itaque aliter ea convivia fuisse Carthagine instituta atque Lacedaemone et Cretae, etsi ex eo ipso, quo utitur Aristoteles, *παραπλησίῳ* suspicari licet, ipsa Carthaginiensium indoles eorumque urbis magnitudo manifeste demonstrat, siquidem Poenos ingenio multo acerbiore et morosiore quam Graecos, etiam Lacedaemonios, id quod Theodorum Metochitam non fugit, fuisse constat, et si Carthaginem tum quoque, cum a Romanis diruta est, septingenta milia hominum incoluerunt. iam vero etiam Aristoteles, cuius tanta praesertim in politicis liberis brevitas est, genetivum casum, qui est *τῶν ἑταιριῶν* nullo modo ad *τὰ συσσίτια* appositurus fuisse putandus est, si totus populus eiusmodi conviviorum particeps fuisset. indagandus igitur nobis est sensus *ἑταιρίας* vocabuli. quo constat sodalitates intellegi, quae de rebus publicis consulendi causa conveniunt quaeque eum sibi finem proposuerunt, ut quidquid sibi rectum esse videatur quam plurimis persuadeant. eismodi autem coetus Carthagine, ubi optimates

omnes alios auctoritate longe superabant, a solis optimatibus haberi potuisse perspicuum est, probabilis tamen Klugii sententia, quippe qui sub id tempus, quo novi senatores eligi debebant, etiam multos de vulgo adhibitos esse putet. hanc totam de conviviis Carthaginiensibus descriptionem, quam adhuc exposui, compluria veterum testimonia confirmant. Aristoteles[1]) enim tyranno, si modo securus esse velit, neque convivia nec sodalitatem nec liberorum institutionem permittenda esse dicit. similiter Plutarchus[2]) communia convivia apud Lacedaemonios et Cretenses usitata quasi senatuum arcanorum et conciliorum aristocraticorum vice fungi existimat. id si de eis dici potest, quorum totum populum fuisse participem constat, nonne eandem hanc conviviorum Carthaginiensium ab ipsis optimatibus institutorum rationem fuisse apertissimum est? optime autem locus Livianus[3]) cum eis, quae disseruimus, congruit. narratur enim Aristonis ab Hannibale exule Carthaginem missi adventum ab inimicis eius prius, quam ab amicis, compertum esse. deinde ,et primum quidem, inquit ,in conviviis circulisque res sermonibus celebrari coepta est.' optimates autem cum Hannibalis inimicissimi fuerint eiusque inimicos in conviviis Aristonis adventum disseruisse Livius referat, rursus ea convivia solorum optimatum fuisse cognoscimus. nam maxima populi pars tanto Hannibalis amore tenebatur, ut ei ulla ratione noceri passura non fuisset. quae convivia in publicis porticibus haberi solita esse, e loco Iustiniano[4]) sequi videtur, quo Hanno nuptiarum filiae die populo ibidem epulas paravisse traditur. praeterea in terra tam calida Carthaginienses consentaneum est nullam occasionem solis aestusque evitandorum praetermisisse. quod confirmatur confirmatque invicem locum quendam Theodori Metochitae, ubi Carthaginienses noctu de rebus publicis egisse legimus; nam id referendum est ad convivia, quae si non semper, attamen cum nimius calor diuturnus erat, noctu habita esse probabile est.

Absoluta iam reipublicae Carthaginiensis, qualis nobis fuisse e veterum testimoniis videatur, descriptione, breviter, quid boni, quid mali habuerit, percenseamus. atque universe qui-

---

1) pol. 5, 9, 2. 2) symp. 7, 9. 3) 34, 61. 4) 24, 4.

dem eam inter optimas veteris memoriae respublicas habendam esse, ipsi veteres rerum scriptores, quos utique melius quam nos eam cognovisse concedendum est, Isocrates,[1] Aristoteles, Polybius[2] clare indicarunt. nam in nulla antiquitatis civitate tres illas reipublicae formas tam inter se mixtas et temperatas invenimus quam Carthagine, sic tamen, ut ex eis optimatum potestas summa fuerit. quam si vere optimi obtinent, nulla alia re magis status reipublicae stabiliri potest. id melius quam omni argumentatione comprobatur cum constantia, qua Carthaginienses per tot secula in negotiis et internis et externis transigendis occupati maximas sibi opes paraverunt, tum tribus conatibus Malchi, Hannonis, Bomilcaris rerum potiundi ter irritis factis. attamen ut studium opum parandarum causae magnitudinis Carthaginiensibus tribuendum est, sic opes paratae postmodo in eorum excidium verterunt. magis enim atque magis populus non eos senatores creare coepit, qui optimi dignissimique erant, verum eos, qui ditissimi maximas largitiones fecerant. quod Aristoteles tamquam summum reipublicae Carthaginiensium vitium vehementissime reprehendit, in ea civitate optimatum potentiam satis firmam haberi posse negans, ubi pecuniae plus quam virtuti honoris tribuatur. itaque Carthaginiensium respublica, ut Polybii verbis utar, iam eo tempore, quo primum cum Romanis bellum inierunt, defloruerat; vulgi enim auctoritas iam nimis creverat, quam pro salvo priscorum institutorum statu fieri posset. de exitu igitur certaminis non facile potuit ambigi; nam cum Romanorum virtuti Carthaginienses ingenia tantum licet summa imperatorum opponere possent, etsi saepissime victores ad extremum tamen inferiores evaserunt.

Sed iam pervenimus ad finem propositarum nobis quaestionum; haec enim persequi potius rerum scriptoris quam nostrum est.

---

[1]) Nic. 39. [2]) 6, 51, 1.

VITA.

Natus sum Guilielmus Koerner Jessnitziae Anhaltinorum a. d. VII. id. Apr. anno MDCCCXLV patre Guilielmo, matre Maria e gente Crameriana fideique sum addictus evangelicae. undecim annos natus, gymnasii Servestani Carolo Sintenis, cuius nuper mortui gratissima mihi semper memoria inhaerebit, rectore laetissime florentis discipulis ascriptus sum. post octo annos Halas in universitatem litterariam me contuli triaque ibi semestria versatus singulos Lipsiae et Berolini annos degi. interfui autem intra hoc totum tempus scholis Bernhardyi, Bergkii, Schalleri, Zacheri, Pottii, Riehmii, Ulricii, Ritschelii, Curtii, Roscheri, Overbeckii, Hauptii, Kirchhoffii; quibus omnibus summis viris gratias, cum plurima eis pebeam, maximas habeo.

THESES.

I.

Linguam Anglicam pro Gallica in gymnasiis docendam esse contendo.

II.

Oedipum Coloneum non esse ultimam Sophoclis fabulam.

III.

Claudianus poeta fidei Christianae addictus non fuit.

IV.

Ov. Trist. II. 449, *ubi codd. habent ‚fallere custodem d e m u m docuisse fatetur' lego ex amici coniectura ‚d o m i n a m docuisse'.*

V.

Apud Claudianum de laud. Stil. II, 412 *legendum esse censeo ‚vincit amor meriti i n v i d i a m' pro librorum scriptura ‚meriti p r i d e m'.*